



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DCCCCX. ad annum MLXXIII.

Parisiis, 1644

Epistola VI. Alexandri Papae II. Ad Gervasivm Archiepiscopvm
Rhemensem. De Cadaloi pseudopontificis vinculis: & de simoniacis
extirpandis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15625

EPISTOLA V.

ALEXANDRI PAPÆ II.

SYNODICA AD OMNES EPISCOPOS.

De rebus in Concilio Romano gestis.

Alexander episcopus seruus seruorum Dei omnibus episcopis catholicis, cunctoque clero & populo, salutem & apostolicam benedictionem.

VIGILANTIA vniuersalis, &c. Extat infra in Concilio Romano primo.

EPISTOLA VI.

ALEXANDRI PAPÆ II.

AD GERVASIVM ARCHIEPISCOPVM RHEMENSEM.

De Cadaloi pseudopontificis vinculis: & de simoniaciis extirpandis.

Alexander episcopus seruus seruorum Dei carissimo confratri Gervasio Rhemenfi archiepiscopo salutem & apostolicam benedictionem.

VISIS fraternitatis tuæ literis, euidenter intelleximus, eam matri suæ sanctæ Romanæ ecclesiæ sinceram compassionē exhibere, ipsamque, si facultas daretur, præsentia corporis velle visitare. Et quia sollicitudinem tuam eiusdem prosperitate lætari, quemadmodum de infortunio contristari non dubitamus, annuntiamus tibi, diuina suffragante clementia, Cadaloi præsumptionem extollentem se aduersus apostolicam sedem, tanto amplius ad maiorem sui ignominiam deuenisse: quanto ipse sperauerat altioris superbiæ culmen ascendisse. Siquidem proprii nominis etymologiam euidenter intelligens, ad reparandam pecuniam in periculum capitis sui a fautoribus suis distributam, cuiusdam turris præsidio gemebundus seruatur.

Vnde per misericordiam Dei speramus nullo modo posse euadere, donec quidquid contra sanctum Petrum nequitia sua præsumpsit satisfecerit: digna eius damnatione est. Quod igitur simoniacæ hæreseos pestem, quæ in
parti-

partibus illis vires adhuc obtinet eius dolo, velle insequi significasti, non parum deuotionis tuæ studio congaudemus, in quo nimirum adeo specialem dilectionem a nobis & filiis sanctæ Romanæ ecclesiæ promeruisti, vt a nonnullis te odio habentibus, odium quoque nobis euidentibus iudiciis exhiberi declaretur. Super Aurelianensem denique, qui simoniace episcopatum obtinuisse, & inde per iurium tribus aliis sibi adhibitis incurrisse probatur, sententiam dare archiepiscopum Senonensem literis nostris admonuimus; quem nimirum, vt cum ipso conuenias, & negotium illud pariter agas, apostolica auctoritate hortamur. Abbatem quoque sancti Medardi iam pridem excommunicationis vinculo innodatum, omnibus modis operam dare studeas, vt de abbacia, quam iniuste retinet, eiiciatur, & alter digne & canonicè substituatur.

Cetera vero quæ in literis tuis continentur, ad præsens distulimus, præsertim cum in præsentia tui, quam desideramus videre, id melius fieri existimamus: non enim panis securi, neque arbor cultro succidi solet. De causa autem Amelrici iterum & iterum te admonemus, vt quod in apertis literis nostris continetur omni studio omnique sollicitudine peragas.

CONSTITUTIONES

QVAS LEGATI SEDIS APOSTOLICÆ
Mediolanensibus obseruandas præscripserunt.

*In nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis. Anno ab incarnatione
Domini Iesu Christi MLXVII. pontificatus vero domini Alex-
andri II. papæ sexto, indictione quinta, die primo mensis
Augusti, actum feliciter Mediolani.*

CVM constet, fratres carissimi, omne genus hominum sub primi parentis præuaricatione ortum, ex radice carnis peccati trahere contagia culpæ, eamque propter hoc pœnam sustinere vindictæ, vt miseriis multis repletum, sibi que ipsi graue & ingratum nunquam in eodem valeat permanere statu: vt quia factori suo noluit obedire, ex pœna peccati cogatur mutabilitatis suæ miseras tolerare, ita vt nec animo virtutis stabilitatem, nec cor-

Præscriptæ
leges ser-
uandæ Me-
diolanensi
ecclesiæ.

Concil. Tom. 25.

H h h h